



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XVIII. Thesaurus inexhaustus omnium gratiarum inclusus in
Persona Christi Jesu manifestat Divinitatem ipsius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

splendores, & Religio Christiana, majori quàm unquam cum fulgore in omnem terram extendenda. Jam manifestum est, hæc omnia requirere tempus, non tantum excedens quadraginta quinque dies, sed plures annos tanto operi futuros vix satis; dicere autem quantos, mysterium est, quod sibi solus Deus in cognitionis suæ reservavit arcano.

Prolixus hic Ecclesiastici discursus, tam attentum, tamque defixum tenuerat Probum, ut quasi totus videretur attonitus, & aliquanto tempore profundum serpens silentium, non nisi in pauca hæc se effunderet verba, quæ etiam Consultationi imposuere finem: O JESU? quàm invincibilis tua est patientia, dum patieris, quòd homo, qui est creatura tua, quique minor est vermiculo coram serenissima tua Ma-

jestate, evertat ac diruat paucos intra dies totam Ecclesiam tuam, exquisitissimum illud gratiarum tuarum opus, quod per tanta ædificaveras sæcula; quòd profanet, quidquid sacri, quidquid sancti habet terra, tunc illum adhuc conserves! O JESU! quàm dives es in misericordia, quòd non omnes dannes ac perdas homines, quotquot consensere sacrilegæ abominandi portenti hujus impietati? largiris illis adhuc tempus se agnoscendi, aperis illis munificè inexhaustos gratiarum tuarum thesauros, indulges & condonas ipsis omnia, amas illos, præparas illis coronas. O amabilis JESU! omnes linguæ & ora laudent te, benedicant te, omnium mentes adorent te, omnium corda diligant te, in sæculorum sæcula.

CONSULTATIO XVIII.

Thesaurus inexhaustus omnium gratiarum inclusus in Persona JESU Christi manifestat Divinitatem ipsius.

Nihilominus æstimatur vir apprimè intelligens & excultus scientiâ; nemo illi vel ignorantæ, vel perversæ doctrinæ affingit macu-

lam; nescio, quâ ratione, ejusmodi effuderit & effutièrit propositiones. Sed fortassis non benè intellixisti ipsum? Imò intellexi ipsum optimè; sed ex co-

Dddd 2

non

non satisfactum est mihi, consulam desuper virum prudentem, ut dilucidet, ut enodet mihi difficultatem.

Fortuita occasio hujus Consultationis.

Hic erat discursus, quem percepimus, quamvis aliquo modo confuse, duarum personarum nos præcedentium, gressu lento, ut quantocyus, et si non accelerarem nostrum, attingeremus ipsos. Bonus noster Ecclesiasticus nunquam non abundans charitate, semperque expeditus ad afferendum cunctis solatium, quamvis desuper non requisitus, gradum promovens, ipsosque accedens, inquit: Domini mei, quid vobis est rei, de qua agitis? Unus è duobus, qui vocabatur Theonas, attonitus ex inopinato hoc occurso, tamque obsequiosam oblectatus benevolentiam, post humanissimum dictum Ave, respondit: Opportunè venis, Domine, credo à Deo te nobis missum, ut non levi nos expedias difficultate.

Periculosum est dicere in publico coram simplicibus veritates nimis subtiles.

Revertimur à concione, ubi Ecclesiastes, cui magnus est populi applausus, qui que in sua, quam exercet arte, censetur verfatillimus certas quasdam protulit in medium propositiones, quæ haud levi me tenent admiratione defixum. Dixit nobis, Jesum Christum bis esse Filium Dei, habere ipsum nativatem æternam, quâ primâ vice nascatur Filius Dei, & nativatem

temporalem, quâ secundâ vice efficiatur Filius Dei. Quod durum videbatur animo meo, est, quod adjunxerit, ipsum per nativatem suam primam esse naturalem Filium Dei, & per secundam esse Filium adoptivum. Semper credideram, Jesum Christum non esse Filium adoptivum (hoc enim peccatorum est, quando recipiuntur in gratiam) sed ipsum esse proprium Filium Dei naturalem, æqualem in omnibus, & consubstantialem Patri suo.

Sed quod meam tum admirationem, tum repugnantiam auxit, est, quod ex eo asseruerit, Jesum Christum pluris æstimasse, se esse Filium adoptivum Dei per secundam nativatem, quam si fuisset solum Filius naturalis per primam. Videtur mihi referre quandam speciem impietatis, hanc instituere comparisonem, majorémque hanc existimationem. Et ecce, quod difficultatem mihi parit.

Dixerunt exin ad longum de diversis gratis Jesu Christi, & dixit, has ipsi fuisse omninò necessarias; & ego semper credideram, nullam pro ipso esse gratiam; quid enim est gratia, nisi favor gratuitus, quem denegare quis potest, si velit, eòquod non sit debitus. Sed omnia debentur Jesu Christo, cum & ipsum jus habeat possidendi gloriam, ipsique

ipsique velut propria sua debeatur hereditas, ob eminentem dignitatem quam ipse solus habet, quaque existit ipse proprius Filius naturalis Dei Patris sui. Jam gloria majus quid est, quam gratia; cum ergo jus habeat possidendi id, quod majus est, & non exhibeatur ipsi gratia, sed reddatur justitia, si illius tribuatur ipsi possessio ab instanti conceptionis suae; videtur mihi ipsum etiam jus habere possidendi id, quod minus est, nempe gratiam. Jus ergo habet ad omnes thesauros gratiae, non minus, quam ad illos gloriae; & consequenter pro eo, quod respectu nostri omnia sint gratia, respectu illius nihil sit gratia, cum ad omnia jus habeat absolutum & integrum. Ecce tibi cogitationem meam, nescio an decipiar!

Benè perspicio, respondit ipsi Ecclesiasticus, tenaci te pollere memoriâ; vellem non minorem tibi esse intellectûs acrimoniam

& perspicaciam. Verùm instituti tui non est tam profundè scrutari abstrusas Theologiae difficultates. Id quod Concionator proposuit, non tantâ percelluisset te admiratione, si intellexisses id benè. Ipsius doctrina censoriâ non meretur notari virgulâ, cum bona sit; sed indiget parvâ quâdam declaratione, cum non familiaris & usitata satis sit, ut ab omnibus intelligatur. Ut ergo tibi satis fiat, dabo tibi desuper declarationem, & omnia tua dissolvam dubia circa filiationem & gratias JESU Christi. Fortassis non minus admiraberis ingentes luminis splendores, quos perspicies, quam admiratus fueris aliquas noctis umbras in quibus hærebas: siquidem nihil tam dignum est admiratione, quam intueri immensas gratiarum divitias, quarum thesaurus inclusus est in adoranda JESU Christi persona. Ausculta me, meque benè intellige!

ARGUMENTUM.

*Quâ ratione JESUS Christus bis sit Filius Dei, per naturam
& per gratiam.*

ARTICULUS I.

Duae nativitates in JESU Christo.

HAUD difficulter capimus nos Christiani, JESUM Christum bis esse Filium Dei, cum fides nos doceat, ipsum admirandum

esse è duabus naturis, divinâ & humanâ compositum: divinâ, juxta quam nascitur ab æterno Deus de Deo, æqualis Patri suo, & ejus-

Dddd 3

& ejusdem cum divino Patre suo naturæ; & humanâ, juxta quam nascitur in tempore, e sinu Virginali sanctissimæ Matris suæ, æqualis illi, & ejusdem naturæ cum illa.

Hoc benè concludit, dicit Theonas, ipsum semel esse Filium Dei Patris sui, & semel Filium sanctissimæ Virginis Matris suæ; sed non video ex hoc, quòd bis sit verus Filius Dei, sed potius oppositum. Nam si ad generandum filium requiratur, ut quis producat personam similem sibi secundum naturam, fateor quidem, Jesum Christum esse verum Filium Dei, secundum nativitatem suam æternam, eòquòd genitus sit à divino Patre suo, ipsi æqualis in natura, imò potius ejusdem naturæ divinæ: sed fateri non possum, ipsum esse verum Filium Dei secundum nativitatem suam temporalem, ubi non video, quòd recipiat naturam divinam, æqualem Deo Patri, sed solum naturam humanam, æqualem sanctissimæ matri suæ; & ex eo naturalis ipsius est Filius.

Jesus Christus est Filius Dei naturalis non solum velut Deus, sed etiam velut Homo.

Verum est, rationem tuam non carere aliquâ verisimilitudine, respondet Ecclesiasticus: Nam sicut non est verum dicere, quòd Jesus Christus sit propriè Filius sanctissimæ Virginis, secundum nativitatem suam æternam, & naturam suam divi-

nam, eòquòd non recipiat ipsam ab illa; sic etiam videtur dicendum non esse, quòd verè fuerit Filius Patris æterni, secundum nativitatem suam temporalem, & naturam suam humanam, eòquòd non recipiat illam ab ipso. Verum si attendas, quòd Jesus Christus in quantum homo, & secundum nativitatem suam temporalem, non solum habeat naturam humanam, quam à sanctissima sua Matre accepit, sed etiam personam divinam, quam accepit à Deo Patre suo; quòdque ambæ, natura & persona æquali ratione sint necessariæ ad constituendum verum hominem: benè capies, ipsum necessariò esse Filium Dei, tam secundum nativitatem suam temporalem, quam secundum æternam, eòquòd in arabibus non sit nisi eadem persona, hæcque persona divina sit & verus Filius Dei. Et ex eo dicimus, quòd Jesus Christus bis sit proprius Filius DEI per naturam.

Verum an dicas, replicat ^{an naturale} Theonas quòd naturale sit ^{sit Jesu Chri-} Jesu Christo Homini, esse ^{sto Homini,} Filium ^{esse Filium} Dei? Non, reponit Ecclesiasticus, est gratia incomparabilis & omnium gratiarum maxima, quam exhibere Deus possit creaturæ per cunctas vires omnipotentis brachii sui. Nobis non constant nisi quatuor canales,
per

per quos Deus liberaliter in nos effundit divitias ineffabilis bonitatis suæ. Primus est ille naturæ, per quem nobis dat esse cum omnibus prærogativis id ipsum concomitantibus. Secundus est ille gratiæ, per quem largitur nobis cor suum, & expostulat nostrum, volens nobiscum intimam inire & illigare amicitiam. Tertius est ille gloriæ, per quem dignatur nos attollere usque ad possessionem proprietarum suarum deliciarum æternarum. Credebatur collocatos hinc fore omnium liberalitatum suarum limites, ac impossibile esse longius extendere suæ amplitudinem munificentiam erga creaturam. Sed quartum adhuc possidebat canalem ab æterno jam præparatum ac dispositum, per quem formaverat decretum communicandi sanctissimæ Humanitati JESU Christi, non bona creata, utpote ipsò infinità ratione inferiora, sed proprium suum esse, propriam suam Personam divinam, attollendo hunc hominem è statu naturali, in quo omninò erat similis nobis, ad statum non solum supernaturalem, sed divinum, ubi non tantum similis est illi, sed eadem cum ipso Persona, ubi non tantum est intima Personarum unio, sed unitas perfecta; ita ut adorando huic dicat Homini: Tu es ego, & ego sum

tu. Ecce tibi id, quod exhaurit totum thesaurum amabilissimæ munificentiam Dei erga creaturam suam, cum impossibile ipsi sit, quidquam amplius eidem unquam communicare.

O amantissime Deus, quis cogitare possit incomprehensibilem hanc sublimitatem sanctissimæ Humanitatis JESU, quod non abreptum sentiat cor suum admiratione, gaudio & amore! Tu igitur ô sanctissima & summe adoranda Humanitas, immersa es infinitis Personæ divinæ excellentiis. Illa te sustentat ac fulcit, illa te elevat & attolit, illa te consummat, illa te perficit; & per illam tu es Homo perfectus & Deus. Tu igitur es Persona adoranda, adoranda Angelis & hominibus, eòquod una sis è tribus Personis adorandæ Trinitatis. Tu es igitur Persona omnipotens, eòquod sis verè Deus; Tu es Persona immensa, eòquod sis ubique (licet non secundum esse tuum humanum, tamen secundum Personam tuam divinam) imò nos semper simus omnes in te. Quàm jucundum habitaculum omnium te amantium animarum! quàmque tutum animarum omnium, quas amas, refugium!

Interrogabas me, Theona, an naturale sit JESU Christo Homini, esse Filium Dei. Respondeo tibi,

Gaudium sanctissimæ Humanitatis, quod immersa sit in Persona Verbi,

Cajet. in 3. p.
q. 1. a. 1.

Naturale & supernaturale est Jesu Christo homini, esse Filium Dei.

tibi, si naturale vocas id, quod ingreditur compositionem naturæ cujusdam perfectæ, in hoc sensu esse Filium Dei personaliter, est ipsi naturalissimum, cum hoc in ipso sit perfectissimum. Verum si naturale vocas id, quod homo habere potest ex solis suis viribus naturalibus, in hoc sensu nil minus est naturale Jesu Christo Homini, quam esse proprium Filium Dei personaliter, eoque nil magis transcendat omnes vires naturæ humanæ. Est igitur opus gratiæ, & quidem opus exquisitissimum & perfectissimum, quod posset unquam operari.

Benè capio, replicat Theonas, ipsum bis esse Filium Dei ex natura, jamque intelligo, te per hoc mihi dicere, quod etiam sit Filius Dei ex gratia miraculosæ hujus unionis naturæ humanæ cum Persona divina. Sed quæro, an Concionator rationem habuerit dicendi, quod hæc gratia faciat ipsum esse Filium Dei per adoptionem; cum mihi videatur, quod esse Filium Dei naturalem, & Filium esse ipsius adoptivum, non benè conveniant.

An Jesus Christus, sit Filius adoptivus Dei,

Fateor equidem, replicat Ecclesiasticus, hanc propositionem esse aliquantisper subtilem, & nisi capiatur in bono sensu, à censura non fore immunem. Novi olim duos Episcopos Hispaniæ,

Elipandum & Felicem esse damnatos in Concilio Francofurtensi, eoquod propugnaverint, Jesum Christum esse Filium adoptivum Dei Patris sui, & Papa Adrianus severissimè illos accipit in Epistola sua velut hæreticos. Verum id ideò, quod manifestè ceciderint in errorem famosorum duorum hæresiarcharum Arii & Nestorii; quodque dividentes Jesum Christum, in quantum est Deus, à Jesu Christo, in quantum est homo, dixerint, ipsum quidem esse proprium Filium naturalem divini Patris sui, in quantum est Deus; sed Filium ipsius esse adoptivum, in quantum est homo. Et dicebatur ipsis: Vos estis hæretici; an dividere vultis Jesum Christum ab ipso Jesu Christo? an attribuere vultis ipsi duas personas, sicut duas naturas? Nonnè semper eadem est Persona divina, sive aspiciatis ipsum ut Deum, sive consideretis ipsum ut Hominem? semper igitur ipsius est Filius naturalis, & non solum adoptivus.

Et nihilominus, si propositionem hanc sumimus in bono sensu, defendi posset velut Catholica, quamvis defleat ab usitato loquendi modo Theologiæ nostræ Scholasticæ: & tolerare ipsam nollem, nisi in quantum servit ceu efficax valde motivum ad inducendum animo nostro

stro summam æstimationem gloriosæ prerogativæ adoptivorum filiorum Dei, quam recipimus per gratiam sanctificantem, uti in sequentibus videbis.

Plures sancti Patres nihil senserunt difficultatis, utendo hoc verbo *adoptionis*, loquentes de JESU Christo, velut Filio Dei. Sanctus Irenæus libro tertio contra hæreses, quod *recepit adoptionem, ut esset Filius Dei*. Sanctus Hilarius libro secundo de Trinitate scribit, quod *dignitas potentia non sit amissa, quando humilitas carnis est adoptata*. Et plures similes loquendi modos invenimus in sanctis Patribus, qui, dum dicunt, JESUM Christum in quantum est Homo esse Filium Dei adoptivum, non negant, ipsum etiam esse Filium ipsius naturalem; quid enim impediatur, quin sit uterque sub diverso respectu? Aspicias naturam ipsius divinam, quam recipit nascens ab æterno è sinu Patris sui, non dubitabis, quin sit Filius ipsius naturalis. Aspicias Humanitatem ipsius, quam recipit in tempore è sinu Matris suæ, & vides ipsam totam delibutam esse Divinitate, velut pretiosâ uncturâ, quæ sit origo & fons omnium gratiarum, dubitare non poteris, quin sit Filius ipsius adoptivus. Siquidem cum omnes Theologi fateantur, quod gratia sanctificans reddat JESUM Christum formaliter san-

ctum, non video, cur hæc sanctitas formalis, quæ respicitur in omnibus Sanctis velut filiatio divina, non etiam sit in JESU Christo, qui est Sanctus Sanctorum, cum nihil dicat imperfectionis, & incompatibilis non sit cum filiatione ipsius naturali. Simul igitur est & Filius adoptivus, & Filius naturalis Dei Patris sui.

Non putas Patrem infinito demulceri gaudio, quod talem habeat Filium, qui solus sufficiat ipsi, ad explendam omnem infinitam amplitudinem intellectus sui, aspiciendo ipsius pulchritudines; & omnem infinitam cordis sui magnitudinem, amando infinitam ipsius bonitatem. Tantâ afficitur voluptate ex eo, quod sit ipsius Pater, ut non solum producat ipsum semper actualiter, absque eo, quod unquam inceperit, vel quod unquam desistat, aut quod unquam finiat, sed insuper velit omni ratione & omni modo esse ipsius Pater; Pater ipsius æternus, & Pater ipsius temporalis; Pater ipsius per naturam, & Pater ipsius per gratiam; Pater ipsius, qui ipsum generet, & Pater ipsius, qui ipsum adoptet; Pater ipsius secundum nativitatem ejus æternam, Pater ipsius secundum nativitatem illius temporalem; Pater ipsius, qui sit ipsi æqualis; Pater ipsius, qui sit illius Dominus; Pater ip-

Gaudium Patris æterni, quod habeat talem Filium & gaudium Filii, quod habeat talem Patrem.

Eeee

fius

S. Hilarius
lib. 2. de Tri-
nitate.

fius, cui nil debeat, & Pater ip-
fius cui debeat omnia; Pater ip-
fius, qui non antiquior sit ipso,
unico duntaxat instanti naturæ;
& Pater ipfius, qui integrâ æter-
nitate antiquior sit ipso. O Pa-
ternitas admiranda! O Filiatio
adoranda! O fons & origo ex-
cellentiarum gloriæ & gaudio-
rum ex utraque parte! Nam si
Pater tantum habet oblectatio-
nis habendo talem Filium, non
minus oblectationis ex sua par-
te habet Filius, habendo talem
Patrem.

Nostra felici-
tas, quod si-
mus filii Dei.

Et nos, qui deberemus conti-
nuò mentis excessu abripi, dum
nos videmus in immensarum
harum divitiarum admitti par-
tem; quid cogitamus, quid sent-
imus? Nobis facultas & honor
est, habendi eundem Patrem cœ-
lestem cum IESU Christo; imò
& ipsemet non solum permittit
nobis, sed etiam præcipit, ut ip-
sum quotidie hoc compellemus
nomine, dum ipsum oramus:
Pater noster, qui es in cœlis. Eâ-
dem nos sorte beamur, quod si-
mus sicut ipse, ipfius Filii per gra-
tiam, & ipsemet dignatur nos
eum suos agnoscere fratres, nos-
que ita nuncupare, dum ait: Di-
cite fratribus meis. O felicitatem
inæstimabilem supra om-
nem felicitatem, quam conferre
nobis mundus posset! sed felici-
tatem tam vilipensam, ut quasi
sit nemo, qui æstimet illam!

Jactamus vel minimas, quæ ob-
tingere nobis possunt prærogati-
vas, ex prosapia, ex industria, ex
fortuna; & inæstimabilem hanc
excellentiâ nobis è cœlo pro-
fectam, quâ constituimur Filii
Patris cœlestis, & fratres Filii ip-
fius unigeniti, ut tandem cohæ-
redes simus Regni ipsius æterni,
æstimamus tam parvi, ut ipsius
obliviscamur, ipsam contemna-
mus, de ipsa nullam admitta-
mus cogitationem. O vilitatem
humanæ mentis, quò tuas
deprimis cogitationes! O vecor-
diam cordium humanorum, cui
vestros devovetis affectus, ve-
stra desideria!

Theonas, qui dilatatum gau-
dio experiebatur cor suum, ex
eo, quod ita loquentem perciperet
doctum hunc & pium Eccle-
siasticum, interpellat ipsum &
interrogat. Et itane, mi Do-
mine, an ergò verum est, nos eâ
beari sorte, ut simus filii Dei per
gratiam, eadem ratione, quâ
Christus IESUS? Non eâdem
omnino, dicit ipsi: Nam sicut
vidisti, ipsum bis esse Filium uni-
cum Patris sui divini per natu-
ram, sic quoque bis ipfius est Fi-
lius per gratiam, semel, quia ac-
cepit summam hanc gratiam
cunctis gratis longè superiorem,
quæ consistit in hoc, quod san-
ctissima ipsius humanitas perso-
naliter unita sit cum Divinitate,
hæcque ipsi omnino sit particu-
laris;

laris; & semel, quod tota ipsius anima repleta sit gratiâ sanctificante, quæ est divina hæc qualitas, quâ omnes iusti adoptantur in filios Dei. Ipse velut Caput & iustorum antesignanus, primus est omnium filiorum adoptivorum Dei per sanctificationem gratiæ; verum ejusdem qualitatis exoptat habere fratres, nosque divinæ hujus filiationis reddere participes, ut simus, sicut ipse, filii Dei per gratiam.

Benè hoc capio, fatetur Theonas, nec obscurè video, JESUM Christum bis esse Filium Dei per gratiam, sicut bis ipsius est Filius per naturam, semel per gratiam unionis Hypostaticæ, & semel per gratiam sanctificantem. Sed videtur mihi maximum esse discrimen inter utramque, gratiamque unionis hypostaticæ sine comparatione nobiliorem esse gratiâ sanctificante. Et hoc est, quod percelluit me stupore, dum audiivi Concionatorem dicentem, quod JESUS CHRISTUS tanti fecerit prærogativam, quâ Filius Dei est per adoptionem gratiæ sanctificantis, ut præferat illam gloriæ, quâ Filius Dei est per gratiam unionis personalis; quodque si necessariò privandus foret unâ vel alterâ, solummodò esse mallet Filius Dei adoptivus per gratiam sanctificantem, absque hoc, quod esset Filius Dei per unionem personalem, quàm esse dun-

taxat personaliter Filius Dei, sine illo, quod esset adoptivus per gratiam sanctificantem. Quis ejusmodi propositionem percipere posset citra horrorem? Nonnè enim videtur hæc comparatio, quin potius præexistimatio haud levi afficere injuriâ Deum?

Haud abominabilis est hæc propositio, si in sano sensu intelligatur, replicat Ecclesiasticus, tamque procul abest, ut injuriosa sit Deo, ut potius cedat ad ipsius gloriam; tamque parum nobis esse debet horrore, ut potius nobis esse debeat per jucunda, utpote tantum nobis affrens utilitatis, ut si hanc scrutari & oculis perspicere possemus, haud intermisso stupore maneremus abrepti, & continuâ admiratione attoniti ex nostræ intuitu felicitatis. Audi stupenda, quæ satis admirari non possunt nec omnes Angeli, nec omnes homines. Uniri personaliter cum Divinitate, sicut unitur sanctissima Humanitas JESU CHRISTI, est verè esse Deum; adeoque adorandum esse tum Angelis, tum hominibus adoratione supremâ; & hoc infinitâ ratione est magnum. Fateor, sed non habere, quàm hoc præcisè, non est amare Deum, nec posse illum amare amore hoc supremo; quem requirit à creatura rationali: siquidem hic amor ipsi

Eccc 2

red.

JESUS CHRISTUS
pluris facit, se
esse Filium Dei
per gratiam
sanctificantem,
quàm
per hypostaticam
unionem.

Differentia
inter esse Deum
& amare
Deum.

reddi non potest ab anima, nisi habeat gratiam sanctificantem. Ex altera parte uniri Deo per gratiam sanctificantem, sicut uniantur omnes animæ justorum, hoc quidem non est esse verè Deum; est tamen hoc perfectio, in quo consistit maxima creaturæ ipsius obligatio. Jam certum est, melius esse creaturæ, non esse Deum, & posse amare Deum, quàm esse Deum, & non posse amare Deum suum.

Quid inquis, interpellat ipsum subito Theonas, totus extra seipsum abreptus ex auditu veritatis sibi prorsus novæ atque stupendæ, quod majorem nempe afferat utilitatem & felicitatem creaturæ, amare Deum amore perfectio, quàm esse Deum personaliter? Exin voce validâ in excessu raptus sui, omnes allocutus homines exclamavit: O mortales, amate Deum vestrum! O pauperculi homines terræ amate Deum amore perfectio! & eritis magis felices, quàm si essetis ipsemet Deus in Persona. Ah utinam omnes homines firmiter crederent magnam hanc veritatem! verùm non est tantæ ipsa evidentia, ut recipiatur ab omnibus absque contradictione; non capit ipsam animus, obruitur ab ipsius magnitudine.

Expecta, replicat Ecclesiasticus, exhibebo tibi hujus rei demonstrationem tam claram, tamque evidentem, ut nullus tibi relinquendus sit ambigendi de ea locus. Non instituo comparisonem inter esse Dei in seipso, & gratiam sanctificantem vel amorem Dei in anima: probè novi, unum infinità ratione excedi ab alio, nihilque comparari posse cum esse Dei. Sed quæro: Quid prodesset creaturæ, possidere hoc esse personale Dei, quod infinita est nobilitatis, si non haberet amorem Dei, eòquod observare non posset maximum legis præceptum, quod obstringit ipsam ad amandum Deum ex toto corde suo, ex tota anima sua, ex totis viribus suis, cum impossibile sit satisfacere huic magno præcepto, absque auxilio gratiæ sanctificantis & sanctæ charitatis? & si anima non implet indispensabile hoc præceptum, quomodo pertingere poterit ad ultimum suum finem?

Non creavit Deus hominem ad imaginem suam, ut esset Deus personaliter, sed ut amaret Deum ex toto corde suo. Non collocavit ipsius finem ultimum & felicitatem ipsius æternam in hoc, ut esset Deus in Persona, sed ut amet Deum,

Plus est amare Deum perfectè, quàm esse Deum personaliter.

Qu
ma
no
ga
po
ma

Deum, contempletur eum, possideatque ipsum in æternum. Hunc in finem produxit omnia opera tum naturæ, tum gratiæ; ipsaque Incarnatio, in qua attollitur homo ad esse Dei, non est nisi medium ad confirmandum amorem perfectum in animabus nostris. Nonne ergo vides, quòd, licet esse Dei infinità ratione nobilior sit amore, quo ferri in ipsum possumus; nihilominus melius sit creaturæ amare Deum, quàm esse Deum personaliter. O si sciremus, quàm incomparabilem complectatur excellentiam exercitium hoc amoris Dei! sed arcanum id est, plerisque incognitum mortalibus.

Quàm inestimabilis pro nobis prerogativa, quod possimus amare Deum.

Itane mi DEUS, exclamavit desuper Theonas, totus extra seipsum abreptus? Itane ergo major in creaturam redundet felicitas ex eo, quòd possit te amare vero amore supernaturali, quàm si esset personaliter Deus, absque eo, quòd amaret te? Et quicumque est filius Dei per adoptionem gratiæ sanctificantis, an magnà hanc frui potest felicitate? Procul

dubio potest, & ut velit, incessanter sollicitat ipsum Deus per sanctas suas inspirationes. Et quid ergo mente revolvunt homines, præcipuè viri boni, qui sunt in statu gratiæ? quibus cor suum occupant affectibus? cui suas devovent & consecrant studio animas? Eheu! de hoc ne cogitatur quidem; fortassis etiam de hoc nil constat, nec est, qui fidem adhibeat. Si quidem ò amantissimè Deus! qui firmiter crederet, qui seriò perpenderet inestimabilem, quam nostris manibus consignatam habemus felicitatem, quaque miserabiliter ob nostram privamur ignorantiam, an perficere aliud quid posset in tota vita sua, quàm nunquam intermissum actualis amoris Dei exercitium? substitit ad hæc verba, quasi totus alienatus à mente, & nostra finem accepisset Consultatio, nisi desiderium penitus rimandi thesaurum infinitum gratiarum JESU Christi, me extimulasset, ad proponendum eruditissimo nostro Ecclesiastico quæstionem sequentem.

Eccc 3

ARGU.

ARGUMENTUM.

Quid opus habeat Iesus Christus gratis, cum ipse Deus sit, & fons omnium gratiarum.

ARTICULUS II.

Iesus Christus est magnus Oceanus omnium gratiarum.

Idem omnino est, dicit mihi, ac si quærerem ex te, quid opus est mari aquis, cum ipsum sit elementum, fons & origo omnium aquarum. Nam ob hoc ipsum suo completi debet sinu omnes aquas; & hanc ipsam ob causam continere oportet Iesum Christum omnium gratiarum thesaurum in Persona sua, eoque ipse magnus sit Oceanus, & velut elementum omnium gratiarum. Totum ipsius esse est gratia, & omnes ipsius operationes sunt gratia: sicut enim tota natura est opus Creatoris, sic tota gratia, quæ est velut alter mundus nobiscum, longè transcendens illum naturæ, est opus Redemptoris.

Quo sensu omnia sint natura in Iesu Christo.

Sed quomodo dicis, Domine, quod totum esse Iesu Christi sit gratia? si propius id aspicias, perspicies & invenies, id totum esse naturam: siquidem nil video in ipso, nisi divinitatem & humanitatem simul unitas in Persona Verbi, ex quo totum constituitur ipsius esse. Jam divinitas non est gratia, est natura divina; humanitas etiam non est gratia, est natura humana; unio amborum similiter non est gratia,

nihil enim est aliud, quam duæ partes simul unitæ: Et celebres quidam Theologi consentiunt, ipsas immediatè unitas esse seipsis, absque eo, quòd aliquid creati sit inter ipsas, quo uniantur. Et juxta idioma sanctorum Patrum, unio divinitatis cum humanitate in Persona Iesu Christi vocatur naturalis. Sanctus Fulgentius ipsam nominat: *Communione naturalem*. Et in epistola Sophronii, quæ lecta fuit & approbata in sexta Synodo, exaratum est, quòd divinitas naturaliter sit unita corpori & animæ Iesu Christi. Non igitur sentiunt, totum esse Iesu Christi nil esse aliud, quam gratias, uti dicebas.

Hallucinaris & erras, respondit mihi, circa hæc verba naturæ & gratiæ. Quando dixi, quòd totum esse Iesu Christi sit gratia, non intendi dicere, ipsam esse aliquam qualitatem creatam, sicut esset gratia sanctificans, quam Deus nostris confert animabus: sed sumendo nomen gratiæ in sensu magis sublimi & amplo, pro favore Dei gratuito concesso, qui non cadat sub meritum, qui non debeat, quique

exce-

excedat capacitatem & omnes vires naturæ: nonne stupenda sit gratia, & omnium gratiarum sublimissima, quod Deus conferre voluerit propriam suam Divinitatem sanctissimæ Humanitati IESU Christi, ut non componeret cum illa nisi unam eandemque Personam, & per hanc donaret illam toti naturæ humanæ, quæ hæc ratione veram contrahit cognationem cum Deo, quod admiratione percellit Angelos in cælo. Nonne verum est, id puram esse gratiam, quam omnes promereri nunquam possent, quæque infinitâ ratione transcendat vilem & abjectam humanæ nostræ naturæ conditionem?

Sic ergo intelligendi sunt Doctores, quando loquuntur de gratia unionis Hypostaticæ, & dicunt, ipsam esse summam & præcipuam omnium gratiarum IESU Christi. Per hoc verbum gratiæ non intelligunt ipsi qualitatem aliquam creatam; sed dicere volunt, summum & maximum omnium favorum, quos Deus exhibuit ipsi, esse, quod unierit Divinitatem cum Humanitate in Persona sua. Et quando sancti Patres dicunt, illas unitas esse naturaliter, dicere non volunt, quod ipsarum unio facta sit ex solis viribus naturæ, sicut esset unio animæ & corporis in animalibus; sed ad declaran-

dum, hanc unionem naturæ divinæ cum natura humana, non esse imaginariam & fictam, sed esse realem & verissimam; sicut etiam non esse artificialem, uti esset unio plurium materiarum ad componendum ædificium, sed esse naturalem, sicut est illa partium, quæ componunt corpus humanum; nec etiam esse accidentalem, sicut est illa, quæ unit animam iusti cum Deo per gratiam sanctificantem, quæ non est nisi accidens, sed esse substantialem, vel ut loquitur sanctus Johannes Damascenus, essentialem: duæ naturæ, divina & humana uniuntur immediatè seipsis, absque aliquo accidente ipsas uniente: *Essentialem esse hanc unionem dicimus, hoc est, veram & non specie tenus.* Et ecce tibi, quid propriè vocetur gratia unionis hypostaticæ, quæ fons est & principium omnium aliarum.

Si benè te capio, Domine, hæc unio tam stupenda naturarum, divinæ & humanæ, quæ componunt nobis Deum. Hominem, non est tam gratia (sumendo nomen gratiæ pro eximia qualitate exornante animas iustorum, & reddente illas gratas Deo) quàm principium & origo omnium gratiarum. Sicut mare origo est omnium aquarum, quas effundit nobis per fluvios & fontes. Sed quænam est prima gratia, quæ producitur ante

Quid intendendum sit per gratiam unionis hypostaticæ.

Damasc. lib. 31. de fide c. 3.

ante omnes alias, quæque dimanat ex hac tam fecunda & copiosa scaturigine?

In quo consistat gratia Capitis, quæ est in Jesu Christo.

Est suprema illa auctoritas & potestas, respondit mihi, quæ constituit Jesum Christum Monarcham & Caput Angelorum ac hominum, ipsique tribuit potentiam & facultatem absolutam effundendi super illos virtutem ac influxus vitæ supernaturalis, illos nempe suarum gratiarum, sui Spiritus, omnium auxiliorum divinatorum, quæ necessaria sunt ad perfectam ipsorum sanctificationem. Hæc specialis illa est gratia, quæ nonnisi convenit ipsi soli, cum absolute incommunicabilis sit omni alteri, & inseparabilis etiam ab ipso: hæc est gratia, quam Theologi vocantur *gratiam Capitis*: gratia, quæ non est perfectio nova, nec aliquid positivum Personæ ipsius superadditum; sed est jus ipsi acquisitum, quodque naturaliter possidet à seipso; est potestas ipsi particularis, quamque recipit nonnisi à divino Patre suo, qui hanc ipsi legavit, dum ipsum ad nos ablegavit.

Hebræor. 5.

Magnus Apostolus verbis admodum magnificis illam nobis expressit in epistola ad Hebræos: *Jesus Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Est ex suprema auctoritate Dei Patris, quod Ver-

bum æternum missum sit in terras, ut fieret homo; & in instanti, quo est Deus Homo, divinus ipsius Pater, qui novam erga ipsum acquirit paternitatem, majorem etiam ipsi largitur auctoritatem, instituens ipsum Ecclesiæ suæ tum militantis tum triumphantis summum Pontificem, Caput, Dominum, Monarcham & Principem absolutum Angelorum & hominum; hoc jus est ipsi naturale, inseparabile à dignitate Dei Hominis.

O Deus! quam exquisitum, ac prodigiosum omnino opus Omnipotentis manus Dei, quæ copulare tale noverat caput cum tali corpore, & tale corpus cum tali capite! quam jucundum spectaculum, cujus pulchritudo omnes abriperet animos, si utrumque eodem conspici posset intuitu.

Quando sanctus Thomas D. Thom. 3. p. 1. q. 2. a. 4. proponit quæstionem: An Jesus Christus sit Caput Angelorum, sicut est hominum, ita discurret. Ubi non est nisi unum idemque corpus, ibi non est nisi unum idemque Caput: Jam omnis multitudo Angelorum & hominum non constituunt nisi unum idemque corpus, quamvis non sint ejusdem omnino naturæ: nam ultra hoc, quod valde magna sit similitudo inter animas hominum, quæ spirituales sunt, & Angelos, qui sunt spirit-

spiritus, sufficit, quòd ambo ordinentur ad eundem finem, pro quo Deus creavit illos. Cum igitur non sint nisi unum corpus, non habent nisi unum Caput, & unicum corpus, non habent nisi unum Caput; & unicum hoc Caput magni hujus Corporis, quod constat ex Angelis & hominibus, est JESUS CHRISTUS. O Anima mea, quanta tibi gloria! JESUS CHRISTUS, Deus æternus, quem univèrsa adorat natura, est verè Caput Corporis, cujus tu existis membrum, quid agendum tibi est, nisi quod firmissimè adhæreas ipsi, recipias ipsius spiritum, sequaris ipsius motum, dirigi & deduci te linas divino ipsius lumine, cœlesti illius doctrinâ: O quanta tunc quies, quanta tibi securitas! Deus Pater constituit eum, sicut dicit S. Paulus: *super omnem Principatum & potestatem, & virtutem & dominationem*, velut Caput supra membra Corporis sui, & vult, ut omne flectatur genu ad adorandum nomen ejus, in cœlo & in terra, imò etiam in inferno. Vide, quousque se extendat potentia adorandi Capituli omnium Angelorum, omniumque hominum.

JESUS CHRISTUS An ergò dicendum sit interrogat Theonas, quòd omnes damnati, qui sunt homines, & omnes etiam diaboli, qui sunt Angeli, partes & membra sint

hujus Corporis? si ita est, fateri oportet, ipsum Caput esse corporis vilissimi, abjectissimi, turpissimi. Respondeo, quòd, licet verum sit, nec unum solum esse hominem, nec unum solum esse Angelum, quem Deus non creaverit ad eundem ultimum finem, & consequenter nec esse unicum solum Corpus, & noñi unicum illius esse Caput, quod est JESUS CHRISTUS; nihilominus non sunt omnia membra corporis ipsius, ejusdem rationis. Ecce tibi ordinem unionis illorum, quem sanctus observavit Thomas. Primi sunt, qui uniuntur ipsi in terra per gratiam & per charitatem: secundi, qui adhærent ipsi per fidem; & hi omnes sunt actualiter membra Corporis ipsius: tertii, qui nondum uniuntur illi, nec per fidem nec per charitatem, unientur tamen aliquando: quarti, qui possunt uniri cum ipso, nunquam tamen unientur; nihilominus quamdiu adhuc sunt in potestate attingendi ultimum suum finem, ad quem à Deo creati sunt, dici potest, ipsos semper esse membra Corporis ipsius; sunt de jure, quamvis non sint de facto. Sed damnati & dæmones, quibus non amplius est potestas & jus tendendi ad ultimum suum finem, non sunt ullâ ratione amplius membra corporis ipsius, eòquòd semetipsos miserabi-

Fff

rabi-

Damnati non
sunt amplius
membra cor-
poris JESU
Christi

rabiliter avulserint ab ipso; nihilominus obligati semper erunt ad exhibendum perpetuo profundissima sua homagia adorando huic Capiti, cujus olim extiterant membra; & quia glorificare noluerint ipsius misericordiam, glorificabunt in omnem æternitatem ipsius justitiam.

Bone Deus! quis non perpetuo defigeretur stupore, si eodem videret intuitu majestatem & gloriam tum Capitis, tum membrorum. Si aspicias Caput JESUM, est hic magnus æternitatis Sol, Filius unicus & splendor Dei Patris sui, qui eo nomine extraxit ipsum e sinu suo, ut intimè uniret ipsum naturæ nostræ humanæ, & inde efficeret Deum-Hominem, quem constituit unicum Caput rationis capacium creaturarum: & ex hoc aliquo modo dici potest, nec Angelum esse, nec hominem, qui non sit Christianus, cum nullus omnino sit, qui non pertineat ad JESUM Christum.

Omnes Angeli
sunt Christiani

Si consideres venustatem corporis, quod Deus copulare voluit tam specioso Capiti, nihil tam est majestate, nihil tam splendore est plenum. Aspicias magnitudinem hujus corporis, ex magno membrorum suorum numero, sine meta hæc sunt & numero: siquidem tota hæc est

Angelorum hominumque multitudo, cum nec unicus ex iis sit, qui creationis jure non pertinet ad ipsum; illósque is omnes ad eandem destinaverit beatitudinem. Intueris nobilitatem hujus Corporis ex membrorum suorum dignitate, omnes sunt spiritus immortales, substantiæ immateriales, omnes sunt nati ad coronas æternas, omnesque capaces possessionis Dei. Consideras magni hujus Corporis majestatem, suæ ob amplitudinis extensionem, replet id cælum & terram, cum illius jam pars triumphet in cælis, altera adhuc militet in terris. Attendis ipsius robur ob suæ diuturnitatem existentiae, non solum hæc cuncta adæquat sæcula, sed etiam transcendit illa, dum suum in omnem æternitatem conservabit vigorem. Tandem rimaris pensulatiùs magni hujus corporis excellentiam ex suarum pulchritudine actionum; videbis id æmulari adorandi sui Capitis perfectiones; continuas cernes reportari ab ipso victorias de natura, de mundo, de inferno, de vitiis: frequentia videbis ibi miracula, quæ manifesta potentiae transcendentis naturam sint indicia: denique animadvertes ibi sanctitatem tam luculentam, ut omnem omnium sibi conciliet venerationem, ut ad suos pro-

Pulchritudo
incomparabilis
corporis
mystici JESU
Christi.

prosternat pedes mundi gloriam, & omnes creaturas in sui rapiat admirationem.

Jesus Christus
membris cor-
poris sui varia
injungit mu-
nera.

Et omnes gloriosæ hæ præro-
gativæ proficiuntur ipsi ex eo,
quod pro suo habeat Capite JE-
sum Christum, cujus sustentat-
ur virtute, cujus animatur spiri-
tu, cujus gubernatur providen-
tiâ. O nos nimium beatos, ni-
miùmque cumulosos honore, dum
fruimur prærogativâ, quod nobis
esse liceat membra talis Cap-
itis, & talis partes corporis. Ve-
rùm quem tenes locum in cor-
pore tam nobili? Alii ipsius sunt
veluti manus, semper suam na-
vantes operam actioni, suamque
exigentem vitam in honorum
exercitio operum. Alii sunt ip-
sius velut humeri, sua semper
portantes onera, nunquam non
suis aggravati adversitatibus, suis
oppressi & obruti crucibus. Alii
sunt velut linguæ & ora, sem-
per occupati loquendo de Deo.
psallendo ipsius laudes, & an-
nuntiando ipsius excellentias.
Alii sunt velut cerebrum, quod
in capite semper manet abscon-
ditum, nec ad aliud inservit, nisi
ad meditandum: Deus hos se-
paratos servat à mundo, non nisi
sibi soli cognitos, nec alteri vult
ipsum esse intentos muneri, nisi
alliduz infinitarum suarum per-
fectionum contemplationi. Alii
sunt denique veluti cor, æquè
solitarii ut cerebrum, quibus a-

liud non est exercitium nisi a-
mare Deum, & noctes dièsque
aduri flammis amoris divini.

Non est partium corporis, se-
metipsas collocare, quod volue-
rint, nec eligere pensum, quod
sibi magis foret acceptum: o-
portet ipsas contentas esse loco,
à natura sibi destinato, injun-
ctumque sibi bene obire munus.
Et nostrum similiter non est, ta-
lem occupare locum in corpore
mystico JESU Christi, qui nostro
arriserit palato, & tale deligere
officium, quod magis fuerit no-
bis jucundum. Maneamus con-
tenti ordine, quod providentiæ
ipsius nos placuit collocare, &
rite nostras impleamus partes,
quas destinatus ab eo nobis re-
quirit & exigit status; quando
etiam non essemus nisi pedes
semper depressi & abjecti in ter-
ram, & totius corporis onerati
mole. Nonne satis ex eo con-
sequimur honoris, si exequi no-
bis liceat consilium & animum
adorandi nostri Capitis, cujus
subdimur arbitrio & potestati?
Et nonne novimus, non minus
placere pedes Capiti, si rite suo
præsent muneris, quam manus
pateant & oculi?

Oblectabar haud parum ex-
planatione, quam attulit nobis
de amabili hac Capitis, quam
JESUS CHRISTUS in omnes habet
homines, potestate. Sed non-
dum adhuc videbam, cujus ge-

neris influxus & virtutes effundat in omnia corporis sui membra: hæc quia infinita sunt numero, amplissimæque sunt capacitatis, dicebam intra meipsum: oportet admirandum divitiarum divinarum thesaurum

inclusum esse in hoc Capite, ad prospiciendum omnibus, cum nihil habeant, nisi quod acceperint ab ipso. Hoc igitur erat, quod me extimulavit ad ipsum interrogandum.

ARGUMENTUM.

Quales gratiarum & sanctitatis thesauri inclusi sint in Jesu Christo.

ARTICULUS III.

Multitudo
gratiarum JE-
su Christi.

SI quæras, quot & quàm diversæ gratiæ in ipsius conjunctæ sint Persona (id est, in sanctissima ipsius Humanitate; nam Divinitas non est capax ad recipiendum ipsarum aliquam) respondebo tibi, quòd sicut non est gratiarum genus, quod necessarium non sit toti corpori sanctæ Ecclesiæ, sic nulla sit gratia quæ non sit in adorando hoc Capite, quas illud super totum suum effundit corpus. Habet igitur gratiam sanctificantem, gratiam habitualem, gratiam actualem, & gratias gratis datas, & omne id, quod sub nomine gratiæ potest intelligi, abs eo, quòd ulla desit ipsi.

Magnitudo
gratiarum JE-
su Christi.

Si interrogas, in quo perfectionis gradu possideat omnes has gratias; dicam tibi, quòd possideat illas in omni excellentia, & in omni plenitudine, quæ Deo competeat illas dare, &

subjecto illas recipere, quin amplius crescere, vel amplius perfici potuerint in illo utpote comprehensore ab instanti Conceptionis suæ, ex quo illis fuit repletus. Cogita, quòd Deus Pater, qui infinitâ ratione amat ipsum, nihil ipsi denegaverit ex omni eo, quod dare ipsi potuit. Cogita quoque, quòd subjectum hanc gratiarum divinarum abundantiam recipiens, non sit infirmus homo, sicut reliqui homines, sed sit Homo-Deus, infinitâ ratione reliquos transcendens homines; & ex hoc conjice, (nam perfectè id capere non poteris) quàm locuples debeat esse gratiarum ipsius thesaurus, qui infinitâ ratione captum transgrediatur humanum.

Verùm non pro seipso, inquit illi, servat omnes hæc gratias thesauro suo inclusas, siquidem is illis non indiget.

Gra-

Cur gratia
ſanctificans
non fuerit ne-
ceſſaria Jeſu
Chriſto.

Gratiæ ſunt ſemina gloriae: Jam ipſe collegit fructum, antequam ſemen hunc ipſi potuerit producere; ipſe admiſſus eſt in plenam poſſeſſionem gloriae à primo inſtanti, quo recepit eſſe; adeoque nulli commodo omnes gratiæ ipſi eſſe poſſunt. Gratiæ dantur animæ ad ſanctificandum ipſam, & reddendum gratam Deo: jam ipſe eſt infinita ratione ſanctus ex ſeipſo, & infinita ratione gratus Deo ex propria ſua conditione Filii naturalis Dei, nullis ergo ipſi opus eſt gratiis. Gratiæ nobis ſerviunt ad promerendum aliquid coram Deo; actiones enim noſtræ ſine gratia nullius ſunt valoris: ad ipſum autem omnia jam pertinent titulo dignitatis Filii Dei; abſque eo, quod neceſſe habeat comparare ſibi illa per merita: conſequenter nullarum omnino ipſe indiget gratiarum.

Cur gratia
ſanctificans
fuerit neceſ-
ſaria Jeſu
Chriſto.

Fateor hæc omnia, reſpondit mihi, nihilominus verum eſt, neceſſario ipſum habere debuiffe omnes has gratias pro ſe & pro nobis. Inprimis gratia ſanctificans fuit ipſi neceſſaria; & articulus eſt fidei, animam ipſius hæc totam fuiſſe repletam, juxta expreſſa illa ſancti Joannis verba: *Vidimus eum plenum gratia & veritatis.* Non dico, hanc ipſi fuiſſe neceſſariam, ad producendum ſibi gloriam, velut ſemen producit fructum ſuum; ſiquidem gloriam ipſe poſſidet ex jure Fi-

Joan, I. v. 14.

liationis divinae, nec ad promerendum aliquid pro ſeipſo; nam ipſi opus non eſt aliquid promereri, eoque omnia ſint ipſius jure naturali generationis ſuæ: ſed hæc neceſſaria ipſi fuit tres ob cauſas: Prima eſt, ut fruere- tur prærogativâ portandi æquè bene glorioſum titulum Filii Dei adoptivi per gratiam ſanctificantem, ſicut Filii naturalis per gratiam unionis Hypoſtati- cæ. Secunda, ut attolleret ani- mam ſuam, & voluntatem ſu- am humanam ad ſtatum ſuper- naturalem, ex quo acquireret poteſtatem producendi actus ſu- pernaturales perfecti amoris Dei, quos producere non poterat ex ſolis ſuis viribus naturalibus. Tertia, ut ſe ſanctificaret hæc ſanctitate, quam vocant *forma- lem*, id eſt, propriâ & intrinſecâ: ſiquidem non ſpectat niſi ad gra- tiam ſanctificantem conferre ip- ſam; ſicut non ſpectat, niſi ad albedinem reddere ſubjectum al- bum, & ad ſcientiam reddere intellectum ſcientem; ſic non ſpectat niſi ad gratiam, quæ ſan- ctificat, reddere animam ſan- ctam & Deo gratam.

Et itane, mi Domine, hoc eſt An Jeſus Chri-
dicere, quod ſi Jeſus Chriſtus ſtus fuerit
non habuiſſet gratiam ſanctifi- ſanctus abſ-
cantem, non fuiſſet ſanctus, nec que gratia
acceptus Deo? an poterat per- ſanctificante,
ſonaliter eſſe Filius Dei, quin eſ-
ſet ipſi infinita ratione gratus &
Ffff 3 absque

absque eo, quod esset Sanctus Sanctorum? procul dubio, replicat mihi, fuisset semper infinita ratione sanctus sanctitate personali, eoque sit Deus personaliter, sed non fuisset sanctus sanctitate formali, quia non habuisset formam, vel pretiosam illam qualitatem, quae sola conferre potest hanc sanctitatem formalem, quae est gratia sanctificans. Verum est quidem, quod in consueto loquendi modo Scripturae & Patrum, Humanitas sanctissima Jesu Christi ob intimam cum Divinitate unionem illa manserit tota imbuta, uncta & delibuta, ita, ut dicant, ideò hunc Hominem-Deum appellari Christum, id est, *Unctum*, ipsiusque unctionem esse Divinitatem ipsam: *Christus unctus Divinitate*. Et S. Anselmus in caput primum epistolae ad Hebraeos loquitur hac de re verbis magnam dignis consideratione:

Anselmus in
I, ad Hebr,

Ipsè, qui existens DEus ante saecula, per Spiritum sanctum in utero Virginis homo conceptus est, in fine saeculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus, & postmodum unctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto & carne Virginis concipi, à Spiritu sancto ungi fuit. Et certè nemo est, qui non facile intelligat, quod, cum totus immeritus fuerit Divinitati, totusque absorptus à propria Divinitate Dei; hic Homo-Deus

non fuerit semper infinita ratione sanctus, quando etiam non habuisset gratiam sanctificantem. Sed post omnia iterum eò deveniendum est, quod habuisset quidem sanctitatem personalem, non autem sanctitatem formalem, quae, si ipsi defuisset, dici poterat, ipsum non habuisse omnem perfectionem, quam poterat habere.

Porro ultra gratiam sanctifi- ^{JesusChristus} cantem habitualementem, opus fuerat Christo gratiis actualibus, id est, auxiliis supernaturalibus ipsi actualiter collatis ad concurrendum cum ipso, & adjuvandum ipsum in producendis omnibus, quae faciebat, operibus supernaturalibus. Ratio clara est; si enim anima ipsius indiguit gratia habituali, ad conferendum ipsi potentiam agendi supernaturaliter, quam non habuit ex propria sua natura; sequitur illam etiam indiguisse gratiis supernaturalibus, ad adjuvandum se in producendis actibus supernaturalibus, quos solis suis viribus naturalibus non poterat producere. Eheu! quam magna est dependentia creaturae à Creatore suo! ipsa nihil est sine illo, & absque ipso agere nil potest.

Non dico, quod gratiae actuales, quibus Jesus Christus indiguit, fuerint gratiae excitantes & praeventientes. Novi enim, magnam

Jesus Christus, quia fuit beatus, non indiguit gratiâ excitante.

magnam hanc animam actualiter clarâ visione Dei fruentem, non habuisse opus, ut præveniretur, admoneretur, aut excitaretur ad agendum omne id bonum, quod esse videbat Dei voluntatem. Id necessarium est nobis, qui indormiscimus sæpè in ignorantia & ignava Dei oblivione. Nos indigemus pluribus gratis, quæ nos præveniant, quæ nos expergeficiant, quæ nos excitent, quæ nos animent, quæque sollicitent nos ad agendum bonum, quod nunquam ageremus, nisi misericordi hâc DEI præventionem exstimulati. Sed Beati, qui clarè vident faciem Dei, semper sunt intenti, semper defixi in summum bonum, in quo clarissimè semper vident, quid à se requirat Deus, manentque semper in voluntate actuali & determinata obsequendi ipsi in omnibus; nec unquam ab eo divelli possunt vel unico momento. Ecce, quare non indigeant aliquâ gratiâ excitante.

Benè hoc capio, dixi ipsi, quòd Beati, qui sunt in cælo, fruentes perfectâ requie in perfecta possessione Dei, nec habentes aliam occupationem, quam semper actualiter aspicere pulchritudines infinitas hujus objecti, quo abripiuntur, quo abalienantur à seipsis, quòdque absorbet ipsos in seipso; quòd ipsi

non indigeant gratiâ excitante, quæ ipsis inducat memoriam Dei, facile capio, idque non admiror.

Sed quòd JESUS CHRISTUS verus in medio miseriarum vitæ præsentis; JESUS infatigabiliter intentus magno operi Redemptionis mundi; JESUS plurimum occupatus rebus tot diversis atque difficillimis, quæ omnem ipsius requirebant attentionem; JESUS oppugnatus à tot adversariis, persecutiones passus à Judæis & dæmonibus; JESUS ex bonitate sua subjectus cunctis necessitatibus naturalibus conditionis nostræ humanæ; JESUS denique in suo Viatoris statu, totus similis nobis, exceptis ignorantia & peccato: quòd JESUS CHRISTUS, inquam, in hoc statu sui ipsius tam distractivo, tamque opposito actuali attentioni ad Deum, non indiguerit gratiâ aliquâ excitante; quòdque anima ipsius obligata ad prospiciendum cunctis necessitatibus tum internis tum externis proprii sui corporis, tum etiam totius magni Corporis Ecclesiæ suæ; anima ipsius obstricta ad subeundum omnes curas, quibus distinetur magnum hoc Redemptoris mundi officium, quod agebat in terris, nunquam amiserit nec unico momento actualem ad Deum attentionem, aut divinæ voluntatis ipsius intuitum,

Prodigium est, quòd JESUS CHRISTUS, cum fuerit Viator, non indiguerit gratiâ excitante.

tum, ad exequendum illam in omnibus perfectissimè; hoc est, quod transcendit (siquis considerare volè) omnem admirationem.

O quàm longè absumus ab eo, ut vel in minimo discipulos agamus & imitatores JESU CHRISTI, quantum concernit actualem hanc attentionem ad Deum, & continuum divinæ voluntatis ipsius intuitum! Eheu! nemo quasi est, qui contendat vel tantillum imitari ipsum hac in re, vel benè intelligat, omnem nostram perfectionem, & maximam, quam Deo reddere possimus in terris, gloriam, consistere in interno animæ nostræ cultu. Plerique hominum etiam bonorum credunt, omnia in hoc versari, si multa perficiant opera bona externa, & interim vivant in continua ferè oblivione Dei: omnia optimè peracta esse putant, dum dicunt; sed cuncta hæc nonnè sunt pro Deo? Inno. Verùm actualis attentio animæ tuæ non est ad Deum; & in hoc consistit præcipuè maximum, quod in terris perficere valeas, bonum. Siquidem non erunt bona opera externa, quæ illuminabunt te in sublimi & perfectâ Dei cognitione, aut purissimas in te succendent divini amoris flammæ, quamvis reverà optima sint, magnùmque tibi

Error animarum negligentium internum cultum mentis.

acquirant cumulum meritorum. Sed quid hæc sint respectu fruitionis actualis Dei, quam habere non potes, nisi actualiter intendat anima tua Deo, illius recordando, illum contemplan-do, illum cognoscendo, illumque diligendo?

Quarta pars horæ, quam consecras cogitationi de Deo, absque eo, quòd aliquid agas, majoris est valoris, quàm plures horæ collocatæ in exercitio bonorum operum, absque memoria Dei. Dominus noster nonnè docuit in Evangelio de corde exire omnia mala? an minus verum sit, de corde quoque exire omnia bona? sublimis cognitiones Excellentiarum Dei, purissimus amor infinite bonitatis Dei, zelus ipsius gloriæ, puritas intentionis, & omnia bona, quæ sunt in anima, formantur in corde & in intimis penetralibus animæ, per actuale animi studium, quo intenditur Deo. Et internus hic animi cultus negligitur, eòquòd moriendum sit omnibus rebus externis, ad includendum se in arctam hanc solitudinem, & nemo re-solvere se possit ad tolerandas tot tantæque mortes, quæ occidunt & crucifigunt naturam. Malunt vacare homines exercitiis bonorum operum externorum, ubi sensus & ratio huma-

Unde veniat tanta difficultas, quam invenimus in interno animæ cultu.

na,

na, sicut & inclinationes naturæ suæ inveniunt oblectamenta.

Interpellat me hic Ecclesiasticus noster. Me debitorem tibi adhuc esse profiteor alicujus, in quo ut tibi facerem satis, mihi otium non reliquisti. Nō se desiderabas divitias thesauri gratiarum, quæ sunt in JESU Christo: expolui jam tibi

illarum partem, dum verba tibi feci de gratia sanctificante & gratia actuali: sed nullam adhuc gratiarum gratuitarum feci mentionem, quod fiet illicò. Prius tamen loquendum nobis est de gratiarum harum, quibus immoramur, magnitudine & perfectione. Ecce ergo!

ARGUMENTUM.

An gratiæ JESU Christi habeant aliquam mensuram, vel an sint infinita.

ARTICULUS IV.

Cur gratiæ JESU Christi non sint absolute infinitæ.

CERTUM est illas actualiter & absolute in esse suo non esse infinitas, alias essent Deus; nihil est absolute infinitum quam Deus solus: gratiæ JESU Christi, quantumvis maximæ, sunt creaturæ, & consequenter existunt finitæ; sicut enim de essentia Creatoris est, esse infinitum, sic de essentia creaturæ est, in esse suo esse finitam. Et quando ex supposito impossibili Deus creare posset gratiam actualiter infinitam, anima JESU Christi, quæ est creatura finita, illam recipiendi careret capacitate: & dein si habere posset gratiam infinitam, posset etiam habere gloriam infinitam, cum gloria corresponderet gratiæ: si gloriam haberet infinitam, frueretur Deo, quantum Deus ipse,

quæ sunt impossibilia. Concludendum igitur est, gratiam ipsius non fuisse absolute infinitam.

Nihilominus fatendum est, ipsam tantam habere connexionem cum infinito, ut ratione quædam videatur infinita, si attendantur quatuor, quæ magnitudinem ipsius extollere videntur ultra omnem mensuram.

Primum est magnitudo amoris, quo fertur Deus erga sanctissimam Humanitatem JESU Christi: Non tantum illam, sed etiam naturam Angelicam, sicut dicit S. Thomas, sed amat illam plus, quam omnes Sanctos & cæteras omnes creaturas. Ratio est, quam affert S. Cyrillus: JESUS CHRISTUS est proprius ipsius

Gggg

Filius,

Filius, & Filius Unigenitus; adit ergo possessionem totius ipsius hereditatis. Omnes homines & omnes Angeli non sunt nisi servi, qui habere quidem possunt parvam quamdam bonorum ipsius portionem; sed integra hereditas spectat ad Filium Unigenitum: hoc idem est, ac si dicatur; quod omnes gratiæ, quas impertitus est Deus cunctis Angelis, cunctisque hominibus, non sint nisi parvæ portiones servorum, quæ omnes simul non adæquant id, quod Filio suo impertitur Unigenito. Et ex hoc deducitur, ipsum Filio suo Unigenito dedisse omnem plenitudinem gratiæ, quæ juxta potentiam suam ordinariam possibilis est DEO. Quis hominum vel Angelorum intellectus capere posset magnitudinem gratiarum ipsius, ex primæ hujus rationis consideratione? Absorbetur animus hæc immensitate, & dicit, infinitam hanc videri.

II Dignitas infinita personæ recipientis gratias. Secuudum, quod demonstrat infinitudinem gratiæ Jesu Christi, est dignitas infinita Personæ, quæ illam recipit. Certum est, quod, quando sanctissima Humanitas non habuisset aliquam gratiam sanctificantem, non tamen defuisset infinita ratione esse sancta, cum fuerit unita Personæ Verbi Incarnati, quamvis hæc non fuisset nisi sanctitas

personalis, sicut paulò antè dixi. Sed quando recipit gratiam sanctificantem, quæ redditur formaliter sancta, hæc gratia eòsque participat ex infinitudine Personæ se recipientis, ut verum sit dicere, quod Jesus Christus formaliter & infinita ratione sit sanctus, formaliter & infinita ratione acceptus Deo; ubi per prodigium, quod speciale & singulare est Jesu Christo, pro eo, quod gratia sanctificans nobiliter omnes alias Personas se recipientes, ipsius Persona è contrario nobilitet gratiam, illique infinitam tribuat magnitudinem, quam nunquam nisi in Persona ipsius habere potest.

Tertia consideratio, quæ ostendit infinitudinem gratiæ Jesu Christi, est, quam nobis sup-^{o-III. Qualitas} peditat S. Augustinus, quando ipsum considerat velut Caput ^{Capitis totius} totius Ecclesiæ, compositæ ex ^{Ecclesiæ.} Angelis & hominibus, qui Corporis ipsius mystici sunt membra. Verum est quidem, inquit, omnia nostri corporis membra habere vitam & sensum, sed omnia simul non habent illa in hac plenitudine & in hac perfectione, sicut habet solum Caput; hoc enim omnia habet simul, visum, auditum, odoratum, gustum & tactum: omnia alia corporis membra non habent nisi tactum, qui ferè nihil est in ^{S. August. epist. 57. ad Dardanum.} comparatione cum oculis & aliis

lis sensibus, qui sunt in solo capite. Ità verum quidem est, omnia membra Corporis mystici JESU Christi esse sancta per participationem gratiæ sanctificantis; omnia tamen simul non habent similem plenitudinem gratiæ & sanctitatis, quæ est in solo Capite. Quodvis illorum accipit quidem partem ex abundantia illius, juxta particularem suam capacitatem; sed de solo Capite JESU Christo Apostolus dicit, quòd in illo habitat tota plenitudo Divinitatis corporaliter. Non vult ipse dicere, quòd Divinitas sit corporalis; sed usus est hoc verbo *corporaliter*, ad insinuandum nobis, quòd sicut anima nostra animat quidem omnia membra nostri corporis, suppetitans illis vitam & sensum, verum tamen plenitudinem vitæ non tribuit nisi soli Capiti, ubi adunat & conjungit omnes sensus; ità vita divina, quam gratia communicat omnibus membris Corporis Ecclesiæ, non sit in ea plenitudine, quæ est in solo Capite JESU Christo. Quis diffitebitur, hanc comparationem penitus & impensius perpensam ostendere quamdam infinitudinis speciem in gratiis Redemptoris.

Sed tandem quarta & magis speciosa ratio, ob quam absque hæsitacione dici possit, quòd gratia JESU Christi sit infinita, est,

quòd ipsa sit principium meritorum & divinarum satisfactionum ejus, quæ omninò infinita sunt juxta consuetum loquendi modum, quo utuntur Concilia & sancti Patres. Siquidem si juxta doctrinam Philosophorum: *Infinitum est, quod nunquam exhauriri potest*; quis unquam exhaurire potest thesaurum meritorum & satisfactionum JESU Christi? quando tot essent mundi, quot sunt creaturæ in toto hoc mundo magno, & omnes pleni essent maximis peccatoribus; & ad satisfaciendum omnibus ipsorum debitis justitia Dei hausisset abundanter è thesauris JESU Christi; non tamen ipsos adhuc exhausisset. Repetat toties, quoties voluerit, & tantum semper hauriat, quantum placuerit, nunquam tamen exhauriet illos; infinitum enim quid est, quod nulla potestas exhaurire potest. Cùm ergò inexhausti hi meritorum & satisfactionum thesauri sint, dimanent & effluant è gratia Redemptoris; quis non videat infinitudinem planè manifestam in hac gratia?

Non dicis, mi Domine, reposui ipsi, quòd si infinitum juxta Philosophos est id, quod non potest exhauriri, sit etiam id, cui nihil potest adjici. Jam adjici potest gratiæ JESU Christi; siquidem non negabis, Deum potuif-

Gggg 2

IV. Ipsa est origo meritorum & satisfactionum, quæ sunt infinita.

Colosi. 2.
v. 9.

litas
rotius
e.
Lepist.
ardá-

Gratia JEsu
Christi potuit
esse major
quàm sit.

potuisse ipsi hanc dare majorem, si voluisset; sicut facere, si voluisset, animam ipsius nobiliorem. Non est creatura, quam Deus facere non potuisset perfectiorem, cum Omnipotentia DEI nullis sit arctata limitibus. Cum ergo hæc gratia non eò pertingat magnitudinis, cui Deus nihil possit adjicere, constendum tibi est, ipsam non esse infinitam. Dico plus, quòd qualicumque perfectionis & magnitudinis gradu illam accumulare possit Deus, nunquam tamen talis futura sit, cui Deus nil amplius adjicere posset; cum Deus nullos statuere possit limites suæ Omnipotentia; aliàs destrueret illam, ipsamque redderet impotentem; consequenter clarum est, ipsam non solum infinitam non esse, sed nec unquam esse posse.

Fateor, inquit mihi, id ipsum; neque etiam ego dixi, ipsam absolute esse infinitam in esse suo; sed solum cum magnam valde habeat connexionem cum infinita Persona, quæ est in JEsu Christo, dici posse, quòd participet aliquid ex ipsius infinitudine. Novi probè, quòd Omnipotentia Dei, quæ nullos habet limites, facere potuisset omnia ea, quæ sunt in JEsu Christo, majora & perfectiora, quàm

sint; ipsi dare corpus perfectius; ipsi creare animam nobiliorem; ipsum implere gratiâ abundantiori, ipsi etiam conferre gradum gloriæ sublimiorem; tandem enim, cum hæc omnia, ipsius corpus, ipsius anima, ipsius gratia, & ipsius gloria sint creaturæ, Omnipotentia Dei à nulla creatura limitari potest, ita ut non semper illi quidquam possit adjicere.

Non est ergo nisi sola Divinitas JEsu Christi, cui omnipotentia Dei nihil possit adjicere, eòquòd illa non sit sub hujus potestate: non est Omnipotentia Dei, quæ fecit Divinitatem; hæc enim est à seipsa, est independens, nulli subjecta: Ipsa sola est ens infinitum, quod nec augeri nec imminui possit.

Et quando dicitur, quòd Mysterium Incarnationis sit exquisitissimum opus Omnipotentia Dei, & quòd illam exhauriat, ita ut nihil excellentius facere posset; hoc innuere vult, quòd unire non posset naturam humanam excellentiori cuidam rei, quàm Personæ Verbi incarnati; & hoc nihil indicat impotentia in Deo; sed denotat infinitudinem absolutam in Persona Dei-Hominis & Hominis-Dei: ita ut, si res sumatur in rigore, JEsus Christus proprie infinitus non sit, nisi in natura sua divina,

Omnia sunt
finita in JEsu
Christo, excepta
Divinitate.

vina, & Persona sua divina. Cætera omnia quæ sunt in ipso, quæque propria sunt creaturis, non sunt absolute infinita, eoque dependant ab Omnipotentia Dei.

Nōsse non possumus gradum perfectionis JESU Christi.

Quem autem perfectionis gradum contulerit sanctissimæ Humanitati JESU Christi, ipsius corpori, ipsius animæ, ipsius gratiæ, ipsius gloriæ, clauditur sub arcano consilio Dei, quod nulla posset creatura comprehendere: Cur autem conclusit hæc omnia in ipso his limitibus, & non dedit ipsis plus vel minus perfectionis naturalis aut supernaturalis, cum absolute dependeat ab ipsius omnipotentia, dare illi plus vel minus: quis est, qui abscondita ipsius rimatus sit consilia? aut quis interrogare ipsum audeat: quare fecisti sic? totum, quod hac in re cogitare possumus, adorantes profunda cum veneratione infinitam sapientiam universi hujus operis directricem, est, quod dedit ipsi ea omnia, quæ Deo-Homini erant convenientia.

Deus posuit limites perfectioni Filii sui unigeniti,

O quam stupendam & incomprehensibilem à DEO dependentiam secum affert conditio creaturæ! adorandus hic Homo, qui est proprius Filius Dei, poterat habere perfectiones naturæ, gratiæ & gloriæ incom-

parabiliter majores, quam habeat, eoque Omnipotentia Dei limitata non sit ad ea, quæ ipsi dedit: Et hæc ipsum constringit, ipsum determinat, ipsum limitat ad hanc portionem, absque eo, quod velit ipsum plus habere: sed hoc ipsum est, quod oportet, cum sit id, quod placet Deo; nec plus ipse vellet, nec minus. Si ita Filium suum habet Unigenitum, quis est, qui contentissimus esse non velit eo, quod dare sibi placuerit Deo, si ve in ordine naturæ, si ve gratiæ, si ve gloriæ, si ve parum id sit, si ve multum? sed, quod huic per dilecto cordis sui, quem solum plus diligit, quam universam simul naturam, aliud pro hæreditate sua non det toto vitæ mortalis tempore, nisi paupertatem, contemptum, persecutiones, dolores, cruces, omnium miseriarum humanarum cumulum, ita ut ipsum defungi vellet fato non minus infami, quam immani, quis est, qui capiat?

Itane Pater cælestis, omnium Patrum locupletissime ac JESU Christo optime? itane tractas & accipis datæ sunt me Filium tuum unigenitum, quem infinita diligis ratione? an ergo hæc omnis sit gratia, quam confers ipsi? ita, gratiarum hic thesaurus est, quo ipsum accumulo; videre ipsum a me oneratum

Gggg 3

oppro-

Isaia 55.
 opprobriis, ignominis, humili-
 tionibus, doloribus, derelictioni-
 bus, paupertate; sic aspiciens ip-
 sum maximâ perfundor volu-
 prate, in hoc ipse statu summas
 mihi parit delicias. *Cogitationes
 mea non sunt cogitationes vestra, ô
 mortales terræ, nec via mea sunt
 via vestra.* Nos ambulamus pas-
 su prorsus contrario. Quando
 vos quempiam videtis ornatum
 gloriâ, honoribus, divitiis, cir-
 cumfusum voluptatibus, pro-
 speritatibus visibilibus & corpo-
 ralibus, vos optimâ illum frui
 forte putatis, hoc non leviter ve-
 stris lenocinatur oculis: & ego
 ex opposito, quando quem-
 quam intueor totum circumse-
 ptum confusionibus, opprobriis,
 afflictionibus & paupertate, ip-
 sum existimo plurimis accumu-
 latum beneficiis, nec levi volu-
 prate demulceor, dum ipsum sic
 intueor. Ecce hæc meæ sunt gratiæ,
 hi mei favores, quibus unicum
 meum locupletavi Filium, qui-
 bus liberalius ipsum ditavi, quam
 reliquos homines, eòquod cun-
 ctis cæteris hominibus simul
 magis diligam ipsum. Ecce hæc
 mea dona sunt, quibus prose-
 quor servos meos, filios meos,

amicos meos, majora vel mi-
 nora, juxta proportionem, quâ
 magis vel minus diligo illos.

Eheu! quàm paucos reperire
 est, qui amplectantur, ductum-
 que sequantur cogitationum Dei?
 quàm pauci ambulant vias ip-
 sius! persuadere nobis non pos-
 sumus, hoc incedendum nobis
 itinere; nunquam non aspici-
 mus ea velut supplicia, quæ ve-
 lut beneficia immittit nobis; Quod Deus
 aspicit velut
 beneficium,
 nos accepta-
 mus velut
 supplicium,
 sunt nobis tormenta, quæ no-
 bis confert velut fomenta, quasi
 clam semper crederemus in cor-
 de, credendum non esse Deo,
 nec scire ipsum, in quo confi-
 stat bonum & vera beatitudo.
 Nihilominus hæc dona sunt
 proprii Filii Dei, quæ illecebris
 scatent ad conciliandum illius
 amorem in cunctis animabus
 verâ luce cœlesti illuminatis.
 Sed invisum redeamus divi-
 num nostrum thesaurum vice
 ultimâ; videbimus ibi gratias
 residuas, quibus locupletatus est:
 hæc gratiæ sunt gratiæ, quas in
 excellentissimo possedit gradu,
 & maximâ perfectione, in qua
 haberi possint, uti mox
 videbis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quòd JESUS CHRISTUS iucluserit in thesauro suo dona Spiritus sancti, & gratias gratuitas in gradu excellenti.

ARTICULUS V.

Differentia inter gratiam Capitis, dona Spiritus Sancti & gratias gratuitas.

Sunt, qui non distinguant inter dona Spiritus Sancti & gratias gratuitas in Persona JESU CHRISTI; eòquòd dicant, hæc omnia aliud non esse, quàm exercitium magnæ illius gratiæ, quæ dicitur Capitis, quam mandat executioni & deducat in opus, quando salutare influxus tuose effundit super omnia membra Corporis sui mystici, inspirando illis sapientiam, fortitudinem, consilium intellectum, virtutem patranda miracula, timorem Dei, & cætera omnia, quæ necessaria sunt ad perficiendum illa in sanctitate. Sed profectò differunt inter se. Nam gratia Capitis est quid aliud, quàm dona Spiritus Sancti, & dona Spiritus Sancti non sunt gratiæ gratis datæ. Gratia Capitis est prærogativa JESU CHRISTI solius incommunicabilis ulli alteri: dona Spiritus Sancti communicantur omnibus animabus, quæ Spiritus Sancti per gratiam sanctificantem sunt templum, magis vel minus, prout placuerit Deo. Et gratiæ gratis datæ distribuuntur iis, quos Deus ad-movet ad promovendum salutem proximi, huic unâ, alteri a-

liâ ratione, juxta exigentiam ipsorum ministerii.

Quæ dubitandi ratio, an Spiritus Sanctus omnia sua dona consignaverit JESU CHRISTO, cuius ipsemet disposuerat sanctissimam Humanitatem, in utero virginali Mariæ Matris suæ, velut templum, quod consecrabit, quòdque suæ dedicabat gloriæ ædificando illud. Hinc est, quod Vates Isaïas exhibeat ipsum velut Monarcham in illo, velut in throno suo requiescentem, ut in morem Regis Pacifici dominetur & imperet ibi: *Spiritus Domini requiescet super eum, Spiritus sapientia & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientia & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* His verbis exprimit omnia Spiritus Sancti dona. Et quando asseverat Spiritum Domini requieturum super animam ipsius in medio pretiosorum horum donorum, vult ostendere, ipsum certam & securam habiturum illorum possessionem, ipsa sanctos fore habitus, animæ ipsius inhærentes, & nunquam ab ipsa dimittendos: nam cum habuerit illos in terris, habebit & ipsos in cælis.

Ha. II. v. 3.

Verùm

Cur vocentur
dona Spiritus
sancti, & in
quo confi-
siant.

Verum fortassis ignoras, cujus
mysterii gratia vocentur dona
Spiritus Sancti? idem, quia ani-
ma recipit per illa certam docili-
tatem, ut sit flexibilis ad reci-
piendum motus sacros Spiritus
Dei, quibus impellatur ad ex-
antlanda magnarum virtutum
opera. Est differentia inter hæc;
ferri à seipso ad aliquod opus
bonum, vel excitari aliorum ex-
emplo, vel persuaderi à ratio-
ne; & interius ad ea extimulari
ab unico impulsu Spiritus Dei.
Homines possunt quidem ferri
in bonum primo modo, absque
eo, quod habeant dona Spiritus
Sancti; sed non nisi Filii Dei, Spi-
ritu Sancto & donis ipsius reple-
ti, feruntur illuc modo ultimo,
per dulcem sed efficacem im-
pulsu Spiritus divini, cui se
reddunt ductiles & dociles; &
hoc per specialem hanc unctio-
nem, quam recipiunt à donis
Spiritus Sancti. Sic sacra Scri-
ptura hac de re loquitur: *Qui-
cunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt
Filii Dei.* Invenire est animas
tam intentas sibi ipsis, tamque
ductiles omni impulsu Spiritus
divini, ut nihil quasi faciant, nisi
ad quod ab ipso fuerint deter-
minati.

Rom. 8.

Si hoc verum est de servis,
ut ostendit experientia, quid co-
gitandum est de divino Magi-
stro, qui possidebat totam ple-
nitudinem Spiritus Dei, & om-

nem perfectionem donorum ip-
sius? Evangelium nobis tantum-
modò indicat unicum particu-
lare exemplum quod fuerit ductus
à Spiritu in desertum, ut tentaretur
à diabolo. Sed quis dubitare po-
test, quin eadem ratione à Spiritu
Sancto ductus & directus fuerit
in cæteris vitæ suæ actionibus:
videmus enim, ipsum continuo
fuisse impulsu, non ad ea, quæ
naturæ blandiebantur, sed po-
tius ad illa, quæ ipsam crucifi-
gebant, ipsam destruebant, ad
afflictiones, ad dolores, ad abje-
ctiones, ad abnegationes. Ecce
igitur ductum & dictamen Spi-
ritus Dei, de quo dubitare non
possumus, & tamen tantæ su-
mus vecordiae, ut illum sequi de-
stituat nos animus.

Quod concernit gratias gratis
datas, sufficit nosse, cur ita vo-
centur, ut persuasi simus, ipsum
omnes habuisse, illasque posse-
disse in omni sua perfectione. Si-
quidem Theologi docent, ipsas
esse dona supernaturalia, quæ non
concedantur recipientibus illas ad
particularem suam utilitatem,
sed ut idonei reddantur ad ser-
viendum salutem aliorum. Et jux-
ta proportionem, quâ Deus vult
aliquem admoveere ad promo-
vendum bonum spirituale ani-
marum, confert ipsi quoque ma-
jores vel minores, plures vel
pauciores gratias gratis datas, ut
benè suo fungantur munere, cui
à pro-

Math. 4.

Spiritus San-
ctus duxit &
dixit Jesum
Christum totâ
vitâ suâ ad
cruces.

Quid appelle-
tur gratia gra-
tuita.

à providentia divina ſunt deſtinati. Et quia hæc diverſimodè diſtribuit munera inter eos, quos ſuæ Eccleſiæ deputat ſervitio, Sanctus Paulus affirmat nobis, ipſam quoque diverſam facere gratiarum harum gratuitarum diſviſionem.

I. Cor. 12.

Spiritus ſapi-
entia,

Aliis datur Spiritus ſapientia ad penetrandum ſenſum profundiffimorum myſteriorum fidei, & concedendum illis ſpecialeſ facilitatem explanandi illa populis.

Spiritus ſcien-
tia,

Aliis datur ſcientia, quæ ex ſe ipſa non eſt gratia gratis data, in quantum edocetur in ſcholis, ſed habere facilitatem promptè & expedite utendi illà ad elevandum animas ad Deum per diſcurſus è ſcientia rerum naturalium depromptos, eſt ſcientia gratuita vel gratis data.

Fides in quan-
tum eſt gratia
gratuita.

Aliis datur fides, quæ non eſt propriè hæc virtus Theologica, quæ communis eſt omnibus fidelibus; ſed eſt certa quædam perſuaſio viva, quæ tribuit facilitatem perſuadendi ipſam quoque aliis: ſiquidem ſatis fidei habere pro ſeipſo, eſt virtus Theologica; ſed habere illius etiam ſatis pro aliis, eſt gratia gratuita.

Gratia ſanita-
tum,

Aliis datur gratia ſanitarum corporalium, quæ potens & efficaciſ eſt medium lucrandi animas ejusmodi beneficiis; illasque obſtringendi, ut ſe devo-

veant Deo, cujus experiuntur bonitatem.

Aliis confertur donum miraculorum, quod eſt, illorum quæ ſi manibus conſignare Omnipotentiam Dei, quæ utantur ad exhibendas probationes manifeſtas & luculentas veritatis, quam docent: ſiquidem unicum ſolum miraculum magis movet & convincit animas, quam omnes rationes humanæ.

Aliis conceditur donum prophetia, quæ proprie eſt gratia cognoscendi & facile annuntian- di aliis res, quæ non videntur, ſive res ſint futuræ, ſive præteritæ, ſive abſentes, ſive præſentes, & hæc gratia prophetia tam ſpecialis eſt illis, quos Deus admovet muneri Prædicationis, ut in toto veteri Teſtamento idem omninò fuerit eſſe Prædicatorem & eſſe Prophetam: unde videmus, ipſos nunquam Prædicatores, ſed Prophetas eſſe nuncupatos.

Aliis tribuitur donum diſcretionis ſpirituum, quod ſpeciale quoddam eſt lumen, quo cognoscitur ſinceritas eorum, qui candido incedunt animo, illorumque ſimulatio, qui ambulat fide non bonâ, ſed fictâ: & hæc gratia eſt illis neceſſaria, ne decipiantur fraudibus hæreticorum & hypocritarum.

Aliis communicatur donum linguarum, quod eſt facilitas

H h h h

quæ.

quædam, quâ quis faciat se intelligi à proximo, loquendo ipsi vel idiomate, vel ratione tali, quæ accommodata sit ipsius dispositioni, ut comprehendat facile, in quo alius vult ipsum instituere. Hæc gratia tam absolute est necessaria omni cooperari volenti proximorum salutem, ut absque illa impossibile sit aliquem facere profectum: quâ enim ratione quis doceat vel convincat aliquem, à quo non intelligatur?

Gratia interpretandi bene Scripturas,

Aliis denique donatur gratia interpretationis Scripturarum; siquidem non sufficeret dono sapientie perfecte penetrare profundissimas, quæ in sacris Scripturis inveniuntur, difficultates, nisi quis etiam possideat donum, quo concedatur facultas, illas clarè interpretandi aliis.

I. Cor. 14. v. 27.

Tempore sancti Apostoli Pauli omnes hæc gratiæ videbantur manifestè distribui inter fideles, pro utilitate nascentis Ecclesiæ, ita ut alii haberent has, alii alias. Videre erat ex illis quosdam, qui prophetabant, id est, qui prædicabant & asserbant de Deo res valde sublimes, sed in idiomate à nemine nisi à se intellecto, & hi non habebant donum ita sensa sua communicandi aliis, ut intelligerentur ab iis. Et Apostolus dicit illis, alium, qui habet donum interpretationis,

declaraturum omnibus ea, quæ ille dicere volebat; vel si interpretem non habiturus sit, taceat, contentus loqui Deo, vel sibi soli in occulto: quid enim hoc prodesset pro salute proximi?

Sunt igitur divisiones gratiarum gratis datarum, juxta Theologiam magni Apostoli Pauli: hæc diversimodè distributæ sunt diversis subjectis ac personis, juxta quod placuerit Deo dissimili ratione occupare illas in aucupanda salute proximorum, ipsum hac, illum alia ratione. Verùm harum omnium gratiarum perfecta datur collectio in supremo totius Ecclesiæ Capite in Jesu Christo. Siquidem cum ipsæ non dentur, nisi ut impendantur salutem proximorum; an ille, qui est Salvator universalis omnium peccatorum; ille, qui non vixit in terris, nisi ut totum integrum se devoveret magno operi Redemptionis humanæ; ille, qui nunquam aliquid fecit pro seipso, sed omnia pro aliis; ille denique, qui non factus est Homo, nisi ut unice invigilaret salutem hominum; an inquam ille non habeat omnes gratias gratis datas ad magnum hoc Mysterium destinatas?

Quando ex suppositione non habuisset gratias sanctificantes, quæ ipsi absolute non fuerant necessaria, cum absque illis semper

Omnes gratie gratis date fuerunt unitæ in Jesu Christo.

per fuisset infinita ratione Sanctus sanctitate personali; certum est, quod omnes gratiae gratuita ipsi absolute fuerint necessariae, ad operandum congrue salutem mundi. Imo possedit ipsas cum quatuor prerogativis ipsi omnino particularibus, quaeque summe & incomparabiliter extollant ipsum. Prima est, quod illas omnes congregaverit in Persona sua, quin vel unica ipsi desit. Secunda est, quod possideat illas in maxima perfectione. Tertia est, quod ipsae sint habitus animae ipsius inhaerentes, ut nunquam separentur ab ea. Et quarta est, quod existant in potestate ipsius, ut ipsis uti valeat, quando voluerit, & quomodo voluerit.

Quatuor defectus gratiarum gratuitarum in hominibus, Ex adverso omnes alii, qui venerunt aliquam ratione in partem gratiarum gratuitarum, cum non sint, sicut ipse, Salvatores universales omnium hominum, illas nunquam omnes collectas habuerunt in Persona sua, sed quilibet portionem suam, juxta quod illis fuerat opus ad exequendum sui partes muneris: omnes alii non acceperunt illas in tota perfectione sua, sed in certo quodam gradu magis vel minus perfecto, juxta capacitatem suam, vel juxta consilium Dei; omnes alii non possederunt illas velut habitus inseparabiliter semper inhaeren-

tes animabus suis, sed velut actus transitorios, ut uterentur illis pro nata occasione, juxta quod necessarium erat pro gloria Dei & salute proximi; unde & nascebatur, quod non uterentur illis, quando volebant, sed quando placuit Deo, qui modo transitorias has gratias illis largiebatur, modo illas subtrahat.

Qui videre voluerit, quam ratione Jesus Christus continuo usus fuerit omnibus gratiis gratuita, quando voluit & quomodo voluit, non nisi indiget sancti lectione Evangelii. Quam admiranda sapientia, & quam sublimis intelligentia profundissimorum Mysteriorum, quae exposuit hominibus facilitate & familiaritate tam inusitata, ut sanctus Lucas asserat, stupuisse omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus? nonne excellentissimus Propheta aut Praedicator sit magnus ille totius generis humani Doctor, quem jam ante tot saecula promiserat nobis Deus: *Filii Sion exultate, & latamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem justitiae.* Quis enarrare poterit redditas sanitates, quibus indies tantos relevavit aegrotos? quis enumerare, quae patravit, miracula, ad confirmandam, quam mundo praedicabat, doctrinam? quoties conspectus est revelare arcana

H h h h 2

cor.

Felicitas animae cognoscentis & possidentis Jesum Christum.

Luc. 2;

Joel. 2.

cordium, & produxisse in lucem occultissimas hominum cogitationes? unico verbo, nec est unica gratia gratuita, quâ non fuerit usus, quando voluit & quomodo voluit. Oportebat ipsam omnes habuisse in manu sua, ut statuto temporis momento & pro arbitrio suo uteretur illis, in magno hoc, quod moliebatur, opere Redemptionis humanæ.

Hic Theonas, qui nostram inceperat Consultationem, illi quoque imposuit finem millenas reddendo grates Deo ex toto corde suo, pro eo, quod immensas sibi divitias, inexhaustos sibi ostendere voluerit thesauros gratiarum Redemptoris sui. O Jesu! Tu ergo ingens ille thesaurus es, in quo possidemus omnia. In te collecta intueor omnia, naturam, gratiam, gloriam, Divinitatem: in te reposuit Deus Pater omnem infinitum divinarum gratiarum thesaurum; in te adunata videtur tota Sanctorum in cælis regnantium gloria; in te conclusas videre est omnes sanctæ Ecclesiæ

gratias; in te denique solo consistit tota felicitas naturæ: sic dum te solum possidemus, possidemus omnia.

Eheu! undè est, quod tam parum cognoscaris, tam parum æstimeris, tam parum adameris ab hominibus? O! si cognoscerent te, amabilissime Jesu; si exploratum haberent thesaurum immensarum divitiarum, quas habent in te, quando te possident; impossibile foret, quin desererent omnia, ut adhererent tibi: Immo procul dubio, hoc foret impossibile; conspiciendi forent tanto tui succendi desiderio, ut reliqua omnia magno prosequerentur desplicatu. O Jesu! agnoscam te, ut unice adhæream tibi; hoc mihi sufficit.

Verum quid igitur dices, interpellat ipsum Ecclesiasticus, si ostendam tibi, quantâ liberalitate divinas suas ex sua abundantia effundat in nos divitias. Veni, & exponam tibi illas in proxima sequenti Consultatione.

CON-